

# CREDO IV

MUSIC  
**RUH**

I  
Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et  
 terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum  
 Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante  
 omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de  
 Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem  
 omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem  
 descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria  
 Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio  
 Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scri-

pturas. Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus  
 est cum gloria, iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis.  
 Et in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem: qui ex Patre Fi-  
 lioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglori-  
 ficatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et  
 apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismam in remissionem  
 peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi  
 saeculi. Amen.